freqventiores actus, d. passivè solùm, faciliores redduutur, ut imperia superiorum facultatum expeditiùs admittere, & procurare possint.

Th. 29. Qvemadmodum verò hæc passiva facilitas necessariò adest, ut habitus internus suo officio legitimè fungi possit, qvod superior objectio probat, & hactenus concessum est: Ita hic habitus ipse semper adesse tenetur, ut dirigat eam, qvæ per se inepta est ad operandum, facilitatem passivam. Undè perspicuum est, absq; omni intentione actiones hasce exerceri non posse, qvod noviſſimè omniũ objicit *Franciscus bonæ spei phys. part. 4. d. sp. ult. dub. 1. resol. 2 n. 16.* qvamvis aliqvando propter eximiam facilitatem, l. propter reflexionem non adhibitam, adesse vix deprehendatur. Imò, probabiliùs est in Philosophia, etiam qvoad substantiam fieri non posse hunc motum animalem, sine actuali usu phantasiæ & appetitûs, nedum, qvoad modum artificiosum, uti loqvitur *Svarez in citatis sæpè locis,*

Th 30. Et certè, si intentio illa abesse posset, memoria in digitis, in pedibus esse deberet, qvæ actus prioribus similes repeteret, aut ad repetendum facultatẽ subministraret, qvod oppidò absurdum est, & refutatum à *Scaligero contra Cardanum Exercit 307 n 37.* declaratum verò exemplô urbanitatis à *Scheiblero, l. 2. Metaphys. c 8 artic. 3. punct 3 n. 76.* qvô ipsô contradictionem etiam tollit, qvæ aliàs *in hoc & 60. num.* apparenter habebatur.

Th. 31. Atq; eadem planè ratio excludit sensus externos, qvi omnes determinati sunt per naturam, ad hanc notionem, ut indifferentia, eiusdemq; determinatio aut inclinatio hîc qvidem intelligi non possit. Uti nec facilior reddi potest, nisi per accidens, si l. in organo humor aliqvis, l. in medio impedimentum removeatur, aut in objecto deniq; major luciditas appareat. Et hæc communissima est sententia, & dubiô omni caret.

Th. 32. Aliter tamen dicendum est de sensibus internis, phantasiâ, & appetitu sensitivô. Qvamvis enim utraq; potentia naturaliter agat, & voluntatis imperium suô modô veneretur: conveniunt tamen non aliqvibus solùm conditionibus cum potentiis rationalibus, ut passivæ sint & activæ, l. receptivæ suorum actuum, ut ipsæ etiam speciem de objecto absente, l. re præteritâ ad usus

novos